


† A. R. P. Franciscus Xav. Gestermann.

(Prov. Argentoratensis).

Aetatis anno quinquagesimo tertio nondum quidem exacto ad meliorem vitam a Domino vocatus est, et tamen longam laborum eius seriem ab egregio provinciae chronista descriptam paucis tantum perstringere nobis licet.



P. Gestermann in vico Walbach, ad pedes Vogesi montis, ubi de iugo eius prominenti prope civitatem Colmar sanctuarium B. Mariae V. ad Tres Spicas in planitiem despicit, natus est die 18 decembris a. 1869, parentibus piis Ioanne et Teresia nata Fellmann, quibus tamen mox orbatu in orphanotropheo Schiltingheimensi aetatem puerilem transegit bona ibi cura educatus. Ibi cum hominis musici celeberrimi Schwaederle eiusque filiae Franciscae consuetudine uteretur, artis musicae peritiam illam adeptus

est, qua postea tum ad sodalium animos recreandos, tum praesertim ad Dei cultum exornandum optime usus est, ita ut etiam hac arte sua multum in re divina prodesset.

Cum in patria Alsatica ob legem germanicam, qua cum Societate Iesu etiam nos e finibus imperii expulsi eramus, nulla tum esset domus nostrae Congregationis, puer Franciscus in provincia gallico-helvetica admissionem petiit et a. 1882 iuvenatum in collegio Operariorum (Uvrier) in Helvetia ingressus est, ubi in studiis optimos progressus fecit. Novitiatus provinciae gallico-helveticae eo tempore Strati in Hollandia erat, ibique Gestermann die 8 septembris a. 1888 vestem Congregationis nostrae accepit et novitiatum sub tribus magistris, qui illo anno invicem successerant, perfecit, ita ut iterum d. 8 septembris a. 1889 in manus archiepiscopi Oregopolitani Mons. Gulielmi Gross, C. SS. R., vota emittere posset.

Studiis philosophicis theologicisque primum in studentatu provinciae in collegio Dongensi Hollandiae vacare coepit, anno vero 1893, quo clerici in Galliam reverti potuerunt, Thuriacum venit, ubi die 29 septembris a. 1894 sacerdos ordinatus est.

Interea, cum a. 1894 in Germania a coetibus legum ferendarum nos cum Societate Iesu consociatos non esse declararetur, nostri exsilio, quo affecti erant, sublato redire potuerunt et collegia Alsatica paulatim restitui coepta sunt, e quibus postea mense octobri a. 1895 vice-provincia Alsaciae-Lotharingiae Rño P. Generali immediate subiecta erat constituta, quae deinde die 24 februarii a. 1911 in provinciam Argentoratensem mutata est.

P. Gestermann, cum Alsatinus esset, pro hac vice-provincia destinatus erat. Ne autem sat magnus numerus Patrum simul e Gallia in Alsatiam reverteretur, die 23 martii 1895 cum duobus sodalibus Operarios Helvetiorum missus est, ubi studia sua absolverunt et examina ad iurisdictionem obtinendam necessaria subierunt. Sed quia res lente procedebant, initia novi vice-provinciae studentatus interim in collegio Luxemburgensi facta sunt, cuius partem provincia Germaniae inferioris ad hunc finem sorori Alsatinae concesserat. Autumno a. 1895 P. Gestermann in hoc parvo studentatu historiam ecclesiasticam docere incepit. Sed in hoc lectoris munere tum unum tantum annum laboravit.

Secuta est vita apostolica, quam decem fere annos sive in domo Teterchen, sive in Riedesheim (Mulhusii) exercuit. Apostolico studio salutis animarum procurandae semper eminuit, ita ut in missionibus fructus eius laboris essent largissimi. E domo Teterchenensi 43 missionibus interfuit, e Riedesheimensi 14; praeterea multis exercitiis praefuit, sollemnitatibus octo dierum, triduis aliisque laboribus minoribus innumeris. Nec praeter eunda sunt servitia, quae arte sua musica in cultu divino ornando praestitit. In confessionali porro cum esset indefessus et domi semper caritatis fraternae plenus, mirum non est, quod omnes eum e domo Riedesheimensi d. 13 septembris a. 1905 discedentem maerore prosequerentur et chronista adiungit « hunc bonum Patrem domui in missionibus, in confessionali et in cura infirmorum nostrorum multum profuisse ».

Postquam P. Gestermann in missionibus aliisque laboribus apostolicis scientiam suam moralem experientia auxit, superiores eius opera in commune inventus bonum uti voluerunt. Studentatus vice-provinciae interea in collegium Epternacense translatus erat, quo d. 18 septembris a. 1905 P. Gestermann advenit, ut theologiae moralis lectoratum exerceret. Simul ministri munus in se suscepit, quo in munere satis laboris erat, cum studentatus sedes aedificaretur sacellumque, in quo P. Gestermann die 24 februarii 1907 primum sermonem habuit. Praeterea mox consultoris officium obtinuit et hospitem praefecti. In lectoratu P. Gestermann scholae et

scientiae totum se dedit, quantum posset temporis ipse studiis tribuens librosque tum veteres tum novos, imprimis vero S. P. Alphonsi opera pervolvens, qua re ad suscipiendum etiam alium laborem maximi momenti meritique aptum se reddidit.

Institutiones morales Alphonsianae, quae anno 1883 auctore P. Clemente Marc in lucem prodierant, ad editionem quartam decimam pervernerant, qua iterum divendita novam parari oportebat. Ad hanc rem a R^{mo} P. Generali vocatus est P. Gestermann. Qua in re id agebatur, ut servatis religiose S. Alphonsi principiis et doctrinis tamen duo illa volumina progressui scientiae moralis responderent quaestionesque illae omnes in eis tractarentur, quae societatis humanae mutatis rationibus e temporum nostrorum necessitate enatae erant. Die 21 decembris a. 1912 P. Gestermann in studentatu Geistingensi cum P. Leopoldo De Ridder e provincia Belgica prima de hac re consilia contulit, cuius ope imprimis in magno hoc labore usus erat.

Labor assidua P. Gestermann cura impigre processit. Sed cum liber typis describendus esset, apparuit necesse esse, ut sedem suam Romae collocaret, quare d. 8 februarii a. 1914 in urbem profectus est, ubi in officina Cuggiani opus sedula cura progrediebatur. Sed difficultatum huius editionis nondum erat finis. Aestate eiusdem anni bellum ortum erat in diesque magis periculum minabatur, ne Italia quoque eo implicaretur. Quae cum ita essent, P. Gestermann mense aprili a. 1915 aliam urbem relinquere et in Helvetiam se conferre coactus est, ubi Friburgi in iuvenatu Argentoratensi laborem prosecuturus erat, cui maior etiam quam prius tarditas eo adferebatur, quod litterae omnes ad typographum datae ab eoque remissae a magistratibus publicis recensendae erant. Accedebat, quod novi Codicis iuris canonici editio imminere ideoque vix hominis prudentis esse videbatur novam theologiae moralis editionem publici iuris facere, in qua novi Codicis ratio non haberetur. Ex altera autem parte res iam adeo processerat, ut nec ea retineri, nec in textum ipsum novae iuris dispositiones inseri possent. Ideo, cum festo Pentecostes a. 1917 Codex prodisset, supplementum diligens additum est a P. Drehmans compositum, quo ad singulos textus numeros adderetur, quid secundum novas iuris praescriptiones mutandum esset. Ita factum est, ut editio decima quinta, quamquam eius praefatio die 1 maii a. 1915 scripta est, anno demum 1917 in lucem prodiret. Ordine numerisque veteribus servatis haec editio ob novas quaestiones retractatas, multos aliorum scriptorum locos citatos, librorum indicem suppletum, opiniones controversas examinatas magni sane laboris, sed magni etiam momenti erat. Annotationes, quas P. Gestermann confecerat, cum in studentatu theologiam moralem doceret, maximo ei in hac re usui fuerunt.

Inter hos labores litterarios P. Gestermann Friburgi etiam in aliis campis laborare pergebat. Praeter excursiones enim in vicinas parochias diebus dominicis et festis ad parochos iuvandos factas et exercitia fratrum iuvenumque nostrorum domi habita sub finem a. 1916 tribus clericis, qui ex exercitu gallico et belgico in Helvetia retenti in domo Friburgensi morabantur, scholas morales habere et anno post in iuvenatu linguam gallicam docere coepit. Universitatis porro catholicae litterarum Friburgensis viciniam in usum suum diligenter convertit, cum P. Langen-Wendels lectiones theologicas morales assidue celebraret et P. Prümmer familiaritate uteretur. Cum porro a. 1918 Operariis ad tempus studentatus parvus constitueretur, P. Gestermann eo missus est scholasque ibi morales in se suscepit. Sed post annum iterum migrare iussus est, cum bello finito anno 1919 in studentatu Epternacensi Rector dictus esset, quo in munere morte occupatus est.

Interea *Institutionum Alphonsianarum* editio quinta decima divendita erat novamque praeparari oportebat. P. Gestermann statim sua cum diligentia ad eam se applicuit. Aliqui tractatus, ut de censuris et irregularitatibus, omnino retractandi erant, alii, ut de sacramentis, de religiosis, de statu clericali, multis locis mutandi et corrigendi. Ut facilius commercium cum bibliopola haberetur, haec editio sexta decima Lugduni apud Emm. Vitte typis descripta est, quae cum edita esset, tam celeriter divulgabatur, ut post annum nova iterum opus esset, quam P. Gestermann ad finem perducere iam non potuit.

Praeter hos in *Institutionum Alphonsianarum* editione labores P. Gestermann utilitati et commoditati sacerdotum clericorumque providere volens, cum duo illi tomi sat ampli esse viderentur, ad componendum *Compendium* quoddam theologiae moralis manum admovit, quod vero quominus perficeret, morte impeditus est. Ad tractatum de legibus illud tantummodo perduxit.

Haec opera in librum impensa, quo doctrina S. P. N. Alphonsi in clero omnium gentium propagatur et illustratur, nomen et memoriam P. Gestermann in Congregatione nostra inter primores litteratos nostros conservatura est. Sed hac enarratione vitae eius externa tantum lineamenta descripta sunt. Libentissime chronistae credimus de moribus eius haec scribenti: « P. Gestermann homo fuit laboris, Redemptionis antesignanus. Apostolatus verbi in multis illis missionibus, magisterium per annos quatuordecim exercitatum, opera in libros conscribendos insumpta in vita eius partes suas praecipuas habuerunt. Cum missionarius esset, homo artis peritissimus simulque doctrina praestans, vita eius ea erat, cui paene invideres, mortem vero sortitus est pulcherrimam et sanctam. At modestus semper labores suos et dolores et, ne id omittamus, sua bene facta semper occultare studuit. Praesertim vero e studentatu memoria eius non evanescet.

Studentes enim eorumque studia amavit, quia Redemptionem diligebat et Redemptoristas. Cum in domo studiorum Rector constitutus esset, qua amoris cura eorum studiis invigilavit, ut optime componerentur neve quid eis deesset, quod ad finem nostrum proprium assequendum aptum esset! Voluit praeterea, ut clerici ad vitam supernaturalem et virili fide plenam educarentur. Cor eius ardens erat et ardentius, quam subinde putares, sed flamma haec omnis operi divino dicata erat in munere Congregationi nostrae proposito. Quidquid ad Congregationem spectabat, amore prosequabatur dicere solitus nos familiam esse, quam familiaritate imbutam esse oporteat... Maximum autem eius studium ultimis praesertim vitae annis S. Alphonsi amorem fuisse diceres. Eius spiritum perscrutari non desistebat, eum sermonibus suis exemplum proponebat. Maximo gaudio affectus videbatur, cum iubilaum doctoratus S. Patris in studentatu ter conventu sollemni celebraretur, statimque ad mensam vitam S. Alphonsi nuper a P. Pichler conscriptam legendam curavit et epistulas eius prudentiae amorisque paterni plenas ».

P. Gestermann per totam vitam suam nervis infirmis erat, quae res quam molesta sit, nemo est qui nesciat. Morbi autem ultimi initium fuit die 12 septembris a. 1912, quo nervoso tremore et vomitu correptus est. Attamen muneri suo adhuc praeesse voluit, cum d. 21 septembris lectorum conferentiae ad initium scholarum interesse et clerici cuiusdam vota perpetua d. 2 octobris recipere vellet, vires vero paulatim eum deficere coeperant, ita ut a die 10 octobris a sacro faciendo abstinere cogeretur. Die vero 17 octobris sub vesperum s. sacramentis munitus animam placidissimo suspirio Domino reddidit.

S. P. N. Alphonsum, quem tantopere amavit, ei coeli portam aperuisse confidimus. R. i. p.!